

gre eidem devovi. Et quanquam anno ætatis meæ 14. Avo, anno autem 16. Patre per mortem sim orbatus; tantum tamen abest, ut gravi hac jactura me a proposito meo absterreri fuerim passus, ut potius eo majori studio & industria majorum vestigiis insistere, propositumque studiorum scopum adtingere adnissus fuerim.

§. VI.

ABsolutis itaque, Deo juvante, Trivialibus æque ac Academicis studiis, ab Ecclesia *Cserenchenfi* ejusdemque Patronatu Vocatio mihi oblata est, quorsum etiam sub initium anni 1730. consentiente & approbante Venerabili Contubernio Kis-Honthensi me contuli, per *B. Samuelem Antonium*, Ecclesiæ *Csetnekiensis* Pastorem, partiumque cis & trans-Tibiscanarum Superintendentem gravissimum sacro huic officio inauguratus. Anno hoc ad finem vergente, svasu & consilio Venerandi Ministerii Neosoliensis desponsavi mihi virginem virtuosissimam *Mariam Krupinsky*, Domini condam *Elie Krupinsky & Susanna Buocz*, Civium Neosoliensium unicam filiam orphanam, Excellentissimi Viri Domini *Samuelis Michaelides*, Sacrorum apud Neosolienses Bohemos

mos